

BOLETIN ECLESIASTICO

DEL

ARZOBISPADO DE TOLEDO.

ORACION DE LAS CUARENTA HORAS.

(Conclusión.)

»Ad offertorium Celebrans post benedictionem incensi, prævia genuflexione, incensat oblata; tum genuflexus in suppedaneo cum Diacono in eodem gradu pariter genuflexo iuxta probabiliorem sententiam, ut expeditior in ipsius adiutorium adstare possit, incensat Sacramentum, ut initio Missæ, nec amoveri tunc debet calix è corporalis medio. Incensato deinde altari, et Celebrante eo modo, quo supra in prima thurificatione, incensentur de more Ministri, et omnes de choro, et ipsemet Diaconus cum solitis reverentiis: qui vero incensat populum, se sistat quasi à latere Evangelii, ne terga vertat Sacramento, et more solito illum incenset.

»In reliquis servantur ritus, qui pro celebratione Missæ privatæ in altari expositionis sapienter statuti sunt.

»An Missæ solemnibus tempore in fidelium communione licita sit patenæ suppositio sub mento communicandorum, audiatur Meratus, qui part. 2, tit. 40, n. 54 ait: *Diaconus patenam sub mento communicandorum tenere poterit, experientia enim necessitatem cuiusmodi ritus evidenter probat, præsertim quando magnus est numerus communicandorum.*

»Audiatur etiam S. Rituum Congregatio, quæ hunc ritum in communione

generalì, quæ per dignitates agitur, licitum facit his verbis: *Patenæ suppositio per Sacerdotem cotta indutum in communione generali, quæ per dignitates agitur, licita est. S. R. C. 3 setembris 1661.*

»Ad vespervas Celebrans, et Ministri, traditis in ingressu presbyterii biretis inferioribus Ministris, facta necnon ab omnibus genuflexione utroque genu, ut dictum est in initio Missæ solemnibus, paululum orabunt in eodem plano genuflexi: accedunt deinde ad parata scamna in cornu Epistolæ, ubi recitatis secreto *Pater noster*, et *Ave Maria*, intonatur à Celebrante *Deus in adiutorium* etc., et alia dicuntur prout de more.

»Ad *Magnificat* vero, facta à Celebrante, et Ministris genuflexione utroque genu (prout innuit P. Caval.) in plano ante inferiorem altaris gradum cum profunda reverentia, ascendunt ad altare, ubi facta iterum genuflexione unico genu, altare etiam osculatur Celebrans in medio, deinde retrocedit aliquantulum in cornu fere Evangelii facie versa ad cornu Epistolæ, imponit incensum in thuribulo, illudque benedicit: tum facta cum sacris Ministris genuflexione in altaris medio, ac deinde genuflexus cum ipsis in suppedaneo Sacramentum thurificat, tum ipsum altare, et denique fit incensatio Celebrantis et aliorum more in vespervis solito: qui